Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1669

Quelle:
Copyright:

ri mores ſtetit, amicus fuerit. Atque ad hunc modum ſe reliquae *Miſſae* Partes habent, quibus et *Sermo* ejusdem commatis ſatirici interjectus eſt. Adludit ad hanc Satiram *Huſſus* in *Reſp. ad Scripta M. Steph. Paletz* edit. *Opp.* 1715. P. I. p. 318. eamque *Teutonicis* tribuit.

XLIV. *fol.* 265. *Sermo in Condempnacione Jeronimi Heretici de Praga.* Incipit: *Supreme trinitatis nomine invocato Pro preſenti propoſito occurrit mihi Thema* &c. Sermoni ſubjungitur *Sententia contra Jeronimum Hereticum condempnatum de Praga ignobilem et laycum.* Ad cujus calcem: *Oratio precedens que incipit Supreme trinitatis nomine invocato, eſt facta per magiſtrum Jacobum Laudonen.* (Laudenſ.) *Epiſcopum et Apoſtolici Pallacij magiſtrum ſuper condempnacionem Jeronimi de Praga Heretici in Conſtantinen. Concilio Anno domini Milleſimo CCCCXVI. die III.* (XXX.) *Maij.* Apud *Cochlaeum* L. III. p. 132. *Sermo* et *Sententia* junctim leguntur; in Collect. vero *Concill. Labb.* edit. *Venet.* T. XVI. *Sermo* habetur *col.* 1349. *Sententia* vero *col.* 409. ſed utrobique haec ultima verba *Sententiae* deſunt: *Secularis iudicis relinquit arbitrio debitam recepturum pro qualitate tanti facinoris vlcionem efficaciter intercedens, quatenus idem iudex circa mortis periculum ſuam ſententiam moderetur.*

XLV. *fol.* 270. *Interrogaciones de Conſtancia.* Faciendae ſilicet Suſpectis de ſtudio erga *Wicleffum* vel *Huſſum.* In *Codice* ſunt numero XXIII. hoc initio: *Primo interroget, ſi credit quod quidquid ſanctum Concilium vniuerſalem Eccleſiam repraeſentans in materia* (fidei?) *approbauit et approbat* &c. ſed T. XVI. *Concill.* edit. *Venet. col.* 760. ſunt multo plures, nec eodem ordine procedunt.

XLVI. *fol.* 271. p. 2. *Martini V.* Bulla *Cruciata* contra *Huſſitas.* Ejus initium: *Martinus Epiſcopus* &c. *Omnium plaſmatoris Domini, qui ſe dominici gregis et ut illum ſue hereditatis faceret participem in pretium ymolare non abnuit* &c. Data eſt *Florencie kl. Marcij, Pontificatus anno Tercio*, et ſubſcripta: *De Curia. Jo. de Ratingen.* Integram exhibet *Cochlaeus* L. V. p. 133.

XLVII. *fol.* 273. Decretum *Conſtant.* Concilii de Ratione vitandi Sententiae aut Cenſurae eccleſiaſticae Subjectos, quod incipit: *Inſuper ad vitandum ſcandalum et multa pericula, ſubveniendumque conſcientijs timoratis* &c. Atque hic *Codex* opimae frugis mire ferax explicit.

CCCCXXIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 344. 4. currente calamo perſcriptus Sequentia continet: I. Tractatum de V. prioribus Eccleſiae Sacramentis, qui incipit: *Ad chriſti ihesu domini noſtri laudem et honorem pariterque* 478